



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiaë, 1674

Caput II. Amore dolorosæ Virginis labores manuum, frigus, æstus,
procellæ cæteræq[ue] aëris injuriæ patienti animo perferenda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

CAPUT II.

*Amare dolorosæ Virginis labores manuum,
frigus, æstus, procellæ. cæteræq; aëris inju-
riæ patienti animo perferenda.*

NULLUS dubito Parthenophile, quin
& tu pro singulari tua in Virginem
dolorosam, & afflictissimam Matrem
tuam devotione, Martyrii cujusdam
subeundi desiderio tenearis. laudo ani-
mos; ut autem verum fatear, nescio quo
potissimum in numero Martyrum sis
collocandus; metuis enim ignes, metu-
is frigus, times gladios, formidas ro-
gos, fugis cruces, horres catastas, refu-
gis acinaces, & demum, quodnam pas-
sionis instrumentum benigniore vultu
intueris? fors ex eorum numero esse
peroptas: qui quidem ea tormenta li-
bentes, volentesque subierunt, quæ
quantum ex ipsis erat, paratam mini-
tabantur mortem, quamque propediem
intulissent, nisi divinitus vim suam ex-
erere prohibita fuissent? Verum me-
tuo num & tantum tibi sit animi; quid
enim si non solum labiis tuis apponi

H 7

fineret

fineret passionis suæ calicem Christus, sed & omnino ut ebiberes præciperet, vel permitteret? credo itaque te libentius cum S. Evangelista Joanne ex ardentis olei, picisque balneo illæsum egresum meditari, quam incerti eventus introitum. Ut ut sit, multum profecto mihi de tua virtute, & amore imitandi dolorosam Virginem, persuadeo; unde saltem illud de Te præsumo, omnino alere te internam Martyrii voluntatem: quæ, ut docet Martinus de Magistris sola, etiam sine admotis tormentis, ad laureolam eam consequendam sufficit; videturq; ea opinio plane veri similis, in quantum id affirmat de præmio essentiali, quod respondet operi operantis juxta illud S. Paulini in festis natalibus S. Fœlicis:

*Cœlestem nactus sine sanguine Martyr honorem,
Nam Confessor obit, pœnas non sponte lucratus,
Acceptante Deo fidum pro sanguine mentem
Et infra:*

*Martyrium sine cade placet: passura voluntas
Sufficit, & summa est meriti testatio voti.*

Age

Age igitur Parthenophile mentem novam concipe, testareque millies, ac millies esse te paratissimum & pro nomine Jesu tormenta quælibet sustinere, & compassionis affectu erga eundem crucifixum, matremque tuam doloris gladio perfossam, centies, centiesque emori; placebit Christo generosa resignatio, & Matri tuæ compatiendi desiderium summopere arridebit. Ne tamen omnino sis absque omni sensu doloris, quo amorem tuum dolorosæ Virgini hodie testeris; patienti generosoque animo perfer hodie, totaque vita tua labores sive corporis ii sint, & manuum; sive animæ, intellectus & ingenii, voluntatis aut memoriæ, tum cæteras aëris molestas impressiones, calores nimios, insolentem æstus, sive intensius subinde frigus & hyemem, frequentiores tempestates, auræ foetores, & quidquid demum hisce fere affine est, & agnatum. Erit ea res & Virgini gratissima, & ipsa tibi auxilio accurret, & non mediocre meritum à Domino tuo consequeris. Est tibi autem prorsus standum inpatientem.

tiam.

patientia constanti, ne unquam animum abjicias, vel despondeas. Equidem solent subinde labores etiã ex necessitate, pro amore tamen Christi patienter, libenterque suscepti, esse dulces; solet non nimium sub initium urgere vel calor, vel frigus; nec illico aliæ intemperantis auræ inconstantia patientiam profligat; ast ubi labor, studiumve diuturnum, ubi procellarum varia incommoda, valetudinis etiam frequentior illapsus; ubi frigus opinione, expectationeque diutius, & severius; ubi æstus qua caput, qua agros, qua prata, lataque cœtera exurit vehementius; tum demum quasi patientia in furorem versa, immemor salutis, & finis ultimi, immemor sanctorum propositorum, immemor patientissimi Jesu, & dolorosæ Virginis, exardescit animus, effunditur in blasphemias, & juramenta; concipit execrationes, & detestationes; non jam memor omnia à Dei nutu, & providentia pendere; sed modo tribuere sagis, modo malis dæmonibus, imo quos dæmonas paulo ante velut autho-
res

res detestabatur, protinus velut auxiliatores pro lue avertendâ invocat. Hocce scelus est execrabile prorsus Parthenophile. Sed quia verecundioris conscientiæ es, mitius tecum agam. Si itaque frigus pateris, recordare patientiæ, ob amorem dolorosæ Virginis susceptæ. Recordare Martyrum quadraginta, qui hyemis tempore frigidissimo nudi sub aperto aëre supra stagnum rigens pernoctare jussi, ut frigore congelati necarentur, inter cœtera unanimi voce hæc loquebantur: *Quadraginta in stadium ingressi sumus, quadraginta item Domine, coronâ donemur. Nihilominus vi frigoris, dolorisque adactus unus, turpiter stationem suam dimisit, fugitque in proximum tepefactum balneum turpis apostata, cujus coronam cœlo delapsam constantior, ultroque se profitens Christianum Janitor initio ethnicus, sine Martyr asportavit. Brev. Rom. 10. Martii.* Si labores urgeant nimii, tuo quidem iudicio, memento Reginæ Martyrum, quæ graviores pertulit, estque solatium, ac umbra in filii
sui

sui honorem, sui que laborantium: ipsius enim, teste Richard. à *S. Lau. lib. 4. Misericordia comparatur nubi, quia pluviâ gratiæ fecundat ad bene operandum. Ut scilicet inertis otio repudiato, pius quisque laborem amplectatur, & fructus vitæ parturiat. Crede mihi Parthenophile, si serium laborem amore tuæ dilectæ libenter perferas, & te solatium ab eadem copiosum recepturum, & non vulgari præmio donandum. Prius docet Vincent. Belvacens. lib. 7. histor. cap. 102. Referens vilam sanctissimam Virginem à quodam senex ex ordine Cisterciensi in sui honorem egregie laborante sudorem Maternis manibus abstergere. Posterior vero habetur apud Henr. Gran. dist. 9. ex 103. Quod cum Monachi dicti religiosissimi Ordinis Cisterciensis in agro messi colligandæ laborarent, & laborando sudorem emitterent, cuidam ex eo ordine Virgo apparuerit, cumque senex, quæ, qualisve esset, interrogaret, in hæc verba refertur, respondisse: *Sum Maria, cujus es & Tu, & domus ista, & omnes, & omnia quæ sunt in domo ista, & in ordine isto:**

isto:

isto : visitavi hodie monachos meos, sudorem-
 que eorum collegi mihi in vase isto, & hic odor
 optimus coram me, & filio meo, digne utique
 remunerandus premio opportuno. Pote-
 ratne Parthenophile, melius laborem
 suorum Virgo efferre, vel commendare?
 poteritne quidquam ad te excitandum
 esse aptius, ut mœstissimæ Matris tuæ
 in honorem strenuè & patienter allabo-
 res? Præclarissimè in rem nostram D.
 Bonaventura in specul. B. V. super verba
 Psal. 122. Sicut oculi ancillæ in manibus
 Domine suæ sic scribit: Ancilla Domine
 (Mariæ) est qualibet anima fidelis, illi devo-
 ta, imo etiam Ecclesia universalis; oculis hu-
 jus ancillæ in manibus Domine suæ semper de-
 bent esse, quia oculi omnium nostrum ad manus
 Mariæ semper debent respicere, ut per manus
 ejus aliquid boni accipiamus, & per manus ejus
 quidquid boni agimus Domino offeramus.
 Labora itaque strenuè Parthenophile,
 sic venies ad Christum, prout ipse te in-
 vitat Matth. 2. Venite ad me omnes, qui la-
 boratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.
 Sic per patientiam venies quoque ad
 Virginem, teste Bonavent. in Psalt. Veni-

te

te ad eam (Matrem dolorosam) qui laboratis, & tribulati estis, & dabit refrigerium animabus vestris. Nullus enim tam magnus labor (inquit umbra Virginea) qui per Virginem levis non fiat, nullus tam vehemens operanti æstus, qui in Maria solamen non inveniat, ac refrigerium. Expertus hoc ipsum Benedictus ab infante Jesu dictus ex sanctissimo Ordine Carmelitarum discalceatorum, qui cum passim se devotissimum Virgini exhiberet, eminebat tamen in hoc, quod, cum esset opificii textrini bene peritus, dum in eo versaretur, identidem repeteret: *Hoc pro infante Jesu; istud pro SS. Matris ejus cultu servit.* Atque sive parum, sive multum laboraret, omnia tamen hoc velut intercalari versu Jesu, & Mariæ offerebat. Exstimula te Parthenophile ad patientiam, eo libentius perferendam quod ipsa serviat mœstissimæ Matri. *Annus Mar. 3. Jan.* Refert S. Gregorius in dial. Quod S. quidam Sutor Deus dedit hâc arte, & labore manuum suarum sibi Virginem devincerit. Laborabat per hebdomadem strenuè, ac insigni

Insigni patientia, ast vero mox ubi Sabbathum, dies doloribus Deiparæ sacer illuxerat, templum S. Petri Romæ repetens, ante ejus portam omne lucrum in pauperes erogavit. Hinc factum, ut Deus cuidam servorum suorum monstraret pulcherrimum in cælo palatium, quod Sancto illi artifici struebatur. Horum è numero, sic patienter pro gloria Virginis laborantium, fuit quoque magnus Dei servus Desiderius ex familia S. Bernardi frater laicus, is cum à teneris Virginem singulari affectu prosequi consuevisset, in sacro eo ordine longius progressus, labores suos Deo, Virgini-que insigni patientia, & constantia consecrabat. Accidit ut ruri pascendis ovibus intentus sub crepusculum vigiliæ assumptionis Dei Matris in cælum, oculis in cælum sublatis Matris suæ triumphum contemplaretur, tantaque animi suavitate, gaudioque perfusus est, ut totam eam noctem, & magnam sequentis diei partem, in ea contemplatione, ac dulcedine exigeret. Nec dubitavit ipsemet Bernardus de tanto dono divinitus

nitus

nitus edoctus, brevi oratiuncula suis
 domesticis publice affirmare, unum è
 fratrum laicorum numero, qui foris in
 villa occuparentur ea nocte tantas è
 cœlo gratias, lumina & solatia perce-
 pisse, quanta vix omnibus domesticis
 obtigissent, quidquid demum sublimi
 contemplatione animo voluissent *An-
 nus Mar. 21. Julij.* Ecce mercedem Par-
 thenophite eorum qui fideliter, patien-
 terque pro gloria Virginis laborant.
 Jam, vero, quam gratum sit Dominæ
 nostræ pro ejus gloria labores animi
 impendere, notius est, quam ut vel ex
 emplo vel declaratione opus sit. Con-
 stat in Alberto Magno, constat in Fran-
 cisco Suarez, constat ex iis quæ affert
 Umberto *lib. 2. de vitis Prædicat. cap. 5.*
 Aliquando visam esse Deiparam coram
 quodam fratre concionante, librum
 apertum tenere. Alias alteri cuidam
 verba salutis in aurem dictare. Additque
 Gerhardus Lemovicensis maximū fru-
 ctum ex tali prædicatione ortum. Con-
 stat demum ex quotidiano usu studiosæ
 juventutis, quæ post Deum suos labores
 à no-

à nemine, vel gratius acceptari, vel felicius adjuvari, quam à Virgine experitur. Porro quod ad cœteras aëris impressiones attinet, quæ non raro permolestæ esse solent, hominemque ad impatientiam provocare, oportet omnino easdem patienti animo perferre, remque totam sic à Deo optimo Maximo ordinatam eidem Numini in acceptis grato, hilarique animo referre. Ut tamen videas Parthenophile, & in his miseriis patienter perlatis, Matris tuæ opem non deesse, unum alterumque subjiciam exemplum. Singulare est quod de magno Patrono meo S. Antonio de Padua traditur in ejus vita; is enim cum Vincentiam aliquando contenderet, nubem sibi imminentem, ingentemque pluviam minitantem conspexit, adversus quam, cum non haberet, quo se defenderet, Rosarium coronæ in modum capiti suo imposuit. Res mira! pluvia toto itinere comitata, ita reliquit intactum, ut ne gutta quidem unica in eum decideret. S. Mariæ Oegniacensi visitanti Deiparæ imaginem
dimi-

dimidio milliari à suis ædibus distitam, Beatissima Virgo duos Angelos comites addidit; cumque pluvia ingrueret, defendebatur umbellâ stellulis distincta, quæ cœlo descendere videbatur. Similia in aliis aëris incommoditatibus à Virgine præstita beneficia, unde rectissime S. Amadæus *hom. 8. de laud. B. V.* sic scribit: *Ex quo cœlos cum filio suo regnatura conscendit, induta decore, induta pariter fortitudine præcinxit se, mirabiles elationes maris solo nutu compefcitura. Mare siquidem præsentis sæculi navigantes, seque plenâ fide invocantes, ab impetu procellæ, & ventorum rabie eruit, eosque secum orantes ad litus felicissimæ patriæ perducit. Quod si vero per miraculum subinde ita illæsos suos filios conservat Maria, ne metue Parthenophile, eandem tibi adfuturam, & ubi conatus fueris, patientiæ gratiam impetraturam primum, dein patientiæ præmio, & laureola feliciter in cœlis coronaturam.*

CAPUT